



Disputatio theologica de germine Davidis : ex 2 Sam. 23, v. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7

<https://hdl.handle.net/1874/42437>

DISPUTATIO THEOLOGICA

DE

GERMINE DAVI-
DIS,

Ex 2. Sam. 23. v̄ 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7.

Quam

Auxiliante unico Salutis fonte. C. J.

PRÆSIDE

Plurimum Reverendo, Clarissimo, Doctissimo Viro,

DN. PHILIPPO JOHANNE TILEMAN
d. SCHENCK, SS. Theolog. Doctore, ejusdemq;
Facultatis in illustri Hammonensium Athenæo Profes-
sore Ordinario, & ibidem verbi divini Dispensatore
facundissimo, Præceptore suo omnis honoris
cultu suspiciendo,

Pro virili suâ defendendam suscipiet

WILHELMUS-BERTRAMUS MYLÆUS,
BOHEMIA-MARCANUS.

Ad diem 22. February, loco horisq; solitis.



HAMMONÆ

Typis BERNHARDI WOLPHARDT;

ANNO clō 10cLXXXI.

*Nobilissimis, Magnificis & Doctissimis, Nec non
Eximis, Amplissimis, Respectivè Sereniss. Electoris Bran-
denburg, in Satrapia Bochumensi constitutis Officialibus
Speciatissimis, ac Ecclesie Evangelico-Reformate in
Bochumb Antistitibus & Senioribus Dignissimis,
Viris, Dominis.*

DN. GEORGIO WILLEBRANDO
KUMPSTHOFF, J. U. Doctore & Judici, Hæ-
reditario in Bönninghausen.

DN. HENRICO KUMPSTHOFF,
Hæreditario in Freyhoff & Rote Scheure.

DN. JOHANNI-HENRICO WORINGEN,
J. U. Candidato & Advocato, simulq; Receptori.

DN. AUGUSTINO-ARNOLDO WORIN-
GEN, Medicinæ Doctore.

DN. JOHANNI DEUTECOM, Quæstori.

DN. CONRADO Kuchenbecker / Judici
Scribæ.

DN. CASPARO DEUTECOM, Adjuncto
Quæstori.

*Disputationem hanc Theologicam in sui promoti-
onis ac recommendationis incitamentum, eâ quâ
par est humilitate, observantiâ & studio,*

Dar, dicat & consecrat
Prædictæ Ecclesiæ Bochumensis Pastoris
HENRICI MYLÆI Filius.

WILH. BERTRAMUS MYLÆUS.

SS. Theolog. Stud.



GERMEN DAVIDIS.

Ex 2. Sam. 23, 1, ad 8.

§. I.

Res illustres Deus constituit periodos
promissionum Messia, prima incipit à con-
dito mundo: statim enim post lapsum Evan-
gelium annunciavit protoplastis Gen. 3. 15.
Semen mulieris &c. hujus respectu *filius homi-*
nis tam crebrò nuncupatur Christus Matth. 8.
20. &c. & *homo* 1. Tim. 2. 5. quia Eva o-
mnium hominum viventium mater, Gen. 3. 20. Altera ab A-
brahama numeranda, cui *facta promissiones* Gal. 3. 16. Gen. 12. 3.
inde *Filius Abrahae* Matth. 1. 1. Ultimam in Davide complevit,
cui *jure jurando promisit, fore, ut ex lumbis ejus Christus suscita-*
retur. Act. 2. 30. Pl. 123. 11. 2. Sam. 7. 11. Et hinc Christus fa-
miliarissimè *filium Davidis* vocatur. Mat. 1. 1. & hoc in omnium
ore erat Luc. 18. 39. Mat. 22. 4. etiam gentilium, Mat. 15. 12.
Et propheta post Davidem, Messiam *germen Davidis*, & *Da-*
videm passim vocant.

11. De hoc *germine*, de *semine*, de *filio Rege aeterno ac*
Salvatore populi sibi promisso, prophetam regium loqui 2.
Sam. 23. in eo spem & fidem omnem reponere, instituti nostri

est demonstrare. Verba sic habent, 1. *Deniq; hæc sunt Verba Davidis postrema: Dicitur Davidis filij jischai, dicitur inquam, Veri, quæ constitutus est excelsus unicus Dei Jachobi, & amantissimus Psalms Jisraëliarum: 2. Spiritus Jehova loquutus est in me, & sermo ejus per linguam meam. 3. Dixit Deus Israëliis, mihi loquuta est rupes Israëliis, qui dominatur hominibus istis, justus esto dominans in timore Dei. 4. Et erunt ut cum lucente manè oritur sol: ut manè non nubilo herba tenera è terra existit à splendore post pluvi- am. 5. Quamvis non sit ita domus mea erga Deum fortis: Quan- doquidem fœdus perpetuum disposuit mihi, ordinatum perstat in rebus omnibus, atq; conservatum, quum tota salus mea, totum- que desiderium sit, quando non facit ut pullulet. 6. At homines nequam ut spina remota erunt omnes, quia non capiuntur manus. 7. Sed qui atterriturus eas, munitur ferro ac hastis, ut igne prorsus comburantur in eadem sede.*

III. Quis tanto spiritu, tanto gaudio, tantâ fiduciâ lo- qui dixerit prophetam regium de re & felicitate terrena? Ita ma- gnificè, tanto cum plausu, de Messia non loquitur alibi David. Hos cothurnos qui regi & regno mundano & semini carnali aptat, profanat: cum venustior nulla, nulla sublimior, nulla divinius oratio de Messia reperiat in V. T. libris. Taceo omnes hujus Vaticinii circumstantias & encomia talia esse, quæ in illustrissimis quibuscunque prædictionibus Prophetarum sparsim scintillens. Ut solem radii, ita Messiam hujus oraculi fulgor facit manifestum; quin etiam exultantium Judæorum oculos perstrinxit, ad eò us omnes præsertim Jonathan Ben Uziel in paraph: Chald: verita- tem hanc agnoverint, & de Messia hunc locum acceperint. Te- ste Petro Martyre comment. h. l.

IV. Argumento speciatim est, quod titulum hunc præ- fixum videamus; *Ultima Davidis Verba.* Non disquirendum, an nihil post hæc loquutus Rex; neque an hæc ultima, quæ spi- ritu Prophetico dixit. Chaldæus sic *מאמר דוד*; hæc Verba Da- vidis, quæ vaticinatus in consummatione seculi diebus consolationis, quæ futuri sunt ut veniant. Hoc sensu novissima dicuntur, quia diebus

diebus novissimis complenda; quæ prædicit: non ad eò male. Sed rectissime sentiunt, qui in fine vitæ, cum de regno disposuissent & Salomoni filio mandata dedisset, hæc eloquentum docent. Hæc enim canticone cygnea fidem in Messiam, germen, testari & salutare hoc depositum familiæ & toti populo veluti testamento consignare & commendare voluit. Ita Jacobus, ultimus de Christo vaticinatus; Gen. 49. 9. 10. 11. sic Moses Deut. 33. Non male And. Osiander, annotat. Bibl. Novissima, non quod post hæc nihil locutus, sed quod in religionis negotio hæc ultima ipsius voluntas, quam ad extremum vixta halitum immortatam tenere voluit. Solent res maximè notabiles, & mysterium, vel *תּוֹרָה אֲמִתִּית* *תּוֹרָה אֲמִתִּית* continentur, tali asterisco notari. Ut cœna Domini I. Cor. II. *ea nocte quâ proditus*: quo novissimam esse indicare voluit Apostolus.

V. Observationem meretur, quod ad Psalmum, 72. v. 20. argumento nostro consentiens reperitur epilogus; *Orationes Davidis finiuntur*. Scilicet hic ultimus Psalmus, non in ordine psalmoreum, quos vel ipse composuit David, vel quos propria manu collegit rex. Neq; ultimum dixerim illius voluminis in quo primùm collecti & dispositi Davidis Psalmi; qui codex auctus postmodum & locupletatus ab aliis. Sed quo fidei summam de Messia, ex Davidis semine oriundo, morti proximus complexus: hanc eeu ultimam & pretiosissimam confessionem posteritati reliquit: hanc fidem Salomoni inculcavit, inque ea constantissimè ac latissimè expiravit. In qua sententia consensum Belgarum, in notis ad h. l. maximoperè nobis gratulamur.

VI. Quin etiam notamus, hæc ultima Davidis cum ultimo hoc Psalmo mirificè conspirare: Subjectum utrobique idem. Messiam prædicant novissima, similiter Psalmus, 72. Sub Salomonis typo de Christo, spiritali Salomone, verba facit, quod Hebræi non dissententur: quamvis Aben Ezra fluctuet, & vel de Salomone, vel de Messia loqui doceat prophetam; pro Messia tamen definit R. David Kimchi. R. Obadiah *de adventu Messie composuitur ait*: R. Salomo Jarchi, *Rabbini nostri*

noſtri totum Pſalmum de Meſſia expoſuere; Quod ex R. Saadia Gaon, ex Midraſ. Thillim & Thalmude demonſtrat Gros. in comment. Cartw. meliſ. apud Poolum in argumento ad Pſal. 72. Et ſanè quæ de regni aternitate ꝑ. 5. pace. 7. extensione, 8. 9. magnificentia. 17. dicuntur; non Salomoni, ſed Chriſto competunt. Cui accedit, quod S. Sanctus hunc Pſalmum variè applicat Chriſto: verſum primum, Job. 5. 22. ſecundum, Matth. 5. 3. tertium, Luc. 2. 13. decimum tertium, Mat. 21. 8.

VII. Et quis non videt, res ferè eadem hoc pſalmo contineri & in noviffimis Davidis de Chriſto prædici. Verſu 3. *juſtum Dominatorem timoris Domini commemorat*, quæ reperiuntur ꝑ. 1. 2. 3. pſalmi; Verſu quarto, *gloriam germinis cum ſole comparat oriente*, ad ea alluditur ꝑ. 5. pſalmi. *timebunt te à ſole, ad facies luna generatio tua*; ꝑ. 4. *germen de terra, à pluvia*, ꝑ. pſalmi 6. 7. *deſcendet ſicut pluvia ſuper vellus* (ſeu ſuper herbam tonſam,) *sicuti imbres &c.* verſu 5. *facies germinare*, ea de prædicit pſalmus ꝑ. 16. *erit particula frumenti in terra, in capite montium perſtrepet fructus ejus.* Hoc eſſe pactum æternum. ꝑ. 5. quæ Pſalter ꝑ. 17. *erit nomen in ſeculum.* Adde quod fœdus hoc univerſale dicitur ꝑ. 5. *diſpoſitum & cuſtoditum omnibus.* hoc pſalter ꝑ. 8. *commemoratur à mari ad mare, à flumine ad terminos terra.* & ꝑ. 19. *replebitur gloria ejus omnis terra.* Similiter hanc eſſe ſalutem Davidis ꝑ. 5. id Pſalmus per benedictiones exprimit, ꝑ. 17. *benedicentur in eo omnes gentes,* quæ eſt ſalus illa & benedictio Abrahami Gen. 12. adde inimicorum conculcationem, ꝑ. 6. & 7. quam ſatis magnificè eſſere Pſalmus ꝑ. 9. 10. 11. *ad facies ejus incurvabunt ſe incolæ deſerti, inimici ejus pulverem lingant;* &c. tum ꝑ. 14. *à dolo & extorſione redimet animam eorum.*

VIII. Hæc inſtitutâ rerum utrimque contentarum collatione, tum tituli & colophonis pſalmi identitate perſpectâ; ſentimus, utrobique unam eandemque eſſe prophetiam, quam non diu ante obitum aſſatu Spiritus Sancti regius Propheta edidit iis verbis, quibus libro Sam. 2. cap. 23. legitur. Sed cum propter ingen-

ingentem suavitatem & plenissimam in Messia filio fiduciam mentis perpetuo obversaretur & cor suavissima consolatione perfunderet, sapius ore ad confirmandum pectus adversus terrores mortis eam elocutus est, imò manu admota magnifico carmine (quod Psalmus septuagesimus secundus exhibet) prolixius descripsit, & Ecclesie pulcherrimum hoc fidei firmamentum de semine Davidis consignavit. Quod & recensor libri Psalmorum ecclesiam docere voluit, adjecto ad Psalmum colophone hoc; *precationes Davidis hic finiuntur.*

IX. Aggrediamur jam textum: *haec sunt novissima verba Davidis*: Videtur scriptor libri Samuelis, vel compilator, hunc titulum ex Spiritus Sancti dictamine praefixisse, quamvis nullo incommodo Davidi tribuatur: Sed quae sequuntur indubitate Davidi tribuimus; *Dixit David filius Isai, & dixit vir constitutus excelsus, unctus Dei Jacob, & jucundus Psalmis Israel. Dixit Deus Israelis, mihi locuta Rupes Israelis.* Haec raptum indicant & inspirationem divinam. Similia coactus eructat Bileam, quum invitus Messiam praedicat filiis Israel, quibus maledicturus venerat. Num. 24. 3. 4. *Dixit Bileam filius Beor.* Dubitat Poolus in Syn. Crit. cujus haec sit praefatio: imò desinit à compilatore librorum Samuelis hoc encomium esse adjectum, non à Davide prolatum. Verum si spectemus prophetas ordinariè nomen & familiam & vocationem specialem prophetis praemittere, tum speciatim in novissimis praedictionibus id factitatum à Jacobo Gen. 49. 2. *audite filii Jacob, audite ad ISRAEL patrem vestrum;* & à Mose Deut. 33. 1. *haec benedictio, qua benedixit Moses vir Dei &c.* quod & imitari debuit hypocrita vaferrimus Bileamus. Num. 24. 3. 4. *Dixit Bileam filius Beor &c:* aliter sentiemus. Neque id frustra est, maximum enim momentum huic vaticinio accedit ab authore, qui servus secundum cor Domini, & Pater Messiae designatus secundum carnem, Rom. 1. 4. Ad majorem rerum praedictarum certitudinem & fidem facit, nosse os oraculi; imò quaecunque de se praedicit David, non exiguam lucem praedictioni

6
vni fecerant. & prophetarum posteritas ea collegit sedulo & Messiz applicavit.

X. Dixit David, scilicet Messiz Pater, quæ vox à radice *Dodh*, idem est, quod *jedidiah* dilectus, amicus Dei: quæ res non solum Christo filio David, qui *filius dilectus* Matth. 3, sed & ipsam nomen Davidis ipsi competit. Ezechiel. 43. 13. & 37. 24. *Servus meus David Rex & Pastor erit*, &c. *Filius Isas*, & hoc nomen Christo dat Esaias, 11. 1 & 10. ubi de Messia loquitur vates, non solum contextu toto id docente, sed vel ipso Chaldaeo teste; & egredietur Rex de filiis Isas, & Messias de filiis filiorum ejus germinabit, maxime Rom. 15. 12. Apostolo id asserente.

XI. Dixit vir, *constitutus excelsus unctus* Dei Jacobo: *ebucquam Hal meschiah*, ita post Chaldaicam Jonathanis paraph. Munst. Pagninus & Arias Montanus vertunt, quos sequuntur Junius & Tremell., & ferè eodem sensu Belgæ. Vulgara, cui constitutum est de Christo, sensu non in congruo cui scil. constituit, promisit, locutus de Christo. Paulò aliter Lutherus, *Der Mann der versichert ist von dem Messia*, ille *rd Hal* pro præpositione accipit, quod & facit. Dieu ad Hof. 7. 16. Hoc sequaces approbant; Strigelius, *confirmatus*; Osiander, *certificatus de Messia*, id non displiceret, sed contextus non fert: nam. 7. 3. demum sibi loquutum petram Israël's ait, &c. hic verò se ipsum describit Psalter, 1. à nomine, 2. ortu, 3. statu regio, 4. officio prophetico. Neq; parùm nos movet, quod Buxtorfius animadvertit, *rd Hal* per *Cametz* nomen esse, & summum seu excelsum Deum significare, ut Hof. 7. 16. & 11. 7. ubi tamen per *patach* scribitur. Præterea, *Zakephkaton* distinctionem facere. Addimus, hoc sensu clarius de Messia Davidem loqui in præfatione, quàm in Vaticano ipso, quod foret absurdum, Primam nos adoptamus versionem, secundum quam se exaltatum & unctum gloriatur vates regius. In hoc quoq; assimilatus Christo David, quòd *cum parvus esset & ovium pastor, & Vna ac domus patris ejus visis in Israël*, 1. Sam. 18. 18. 2. Sam. 7. 8. *Deus illum unxit de pascuis, & jussit esse Regem super populum suum, dediq; ei nomen*

7

nomen grande, juxta nomen magnorum in terra. 2. Sam. 7. 9.
Hoc modo constitutus excelsus & unicus Dei. Quomodo &
Christus; cui non decor, nec forma, sub forma servi contemptus,
Esa. 53. tamen exultavit caput, Pl. 110. Sublimior caelis factus,
Heb. 7. quoniam Deus Christum, quem unxit, exaltavit, &c. deusq;
ei nomen supra omne nomen, Phil. 2. Demonstrando potenter enim filium
Dei. Rom. 4. Egregius, jucundus, vel suavis psalmis Israël. *samar*
significat cantum & carmen à radice *samar*, incidere, præcidere,
distinguere: hinc poëtae non minus, quàm musici canere dicuntur.
Utrumq; David præstitit, non solum metro, sed & melo-
diis sacris Messiam cecinit in psalmis suis, quæ res Israël lætitiæ
& consolationi maximæ. Hoc ipso propheticum munus implevit
rex, imo etiam figura fuit Christi prophetae magni, juxta vati-
cinium Moysi Deut. 18. 15.

XII. Quibus ita perpensis, maximum prophetiæ orna-
mentum accedere ex hac præfatione, unicuiq; sit clarum. Nam
simul vates & typus est J. Christi, neq; expressius Messiam an-
nuntiare potuisset David, quàm facit hic. Proëmio enim testatur,
se ipso nomine, persona, dignitate ac officio figuram ac umbram
gerere *germinis illius venturi*.

XIII. Quæ sequuntur, revelationis authorem indicant.
*Spiritus Domini loquutus est in me, & sermo ejus super linguam
meam.* Hæc referenda sunt ad ea, quæ sequuntur: illa
Spiritu correptum, & in Spiritu se loqui: hoc esse ver-
bum Dei, quod lingua profert, 1. Cor. 11. 23. Dixit Deus
Israël, mihi locutus est Petra Israël. Scilicet à Deo accepisse se, quod
tradit vaticinium; divino Spiritu actum se loqui, 2. Pet. 1. 25.
Quod argumento est, totam Scripturam sacram, & speciatim
etiam psalmos Davidis. & maximè, quod tractamus vaticinium,
Deum authorem habere & inspiratorem. Distinctè nominat
Spiritus Dei, Deum Israël, & Petram Israël: vero similiter
tres personas Divinitatis insinuans. *Petra enim Israël*, procul-
dubio filius, qui Petra. 1. Cor. 10. 4. Sic dictus Moysi. Deut. 2. 4.
Davidi, Pl. 118. 22. Quem locum de Christo explicavit, R. Sal. &
Elaiaa

8
Esaïas 8. 14. ubi Chaldaeus, & si non obedieritis, eris Verbum
ejus vobis in ultionem &c. & 28. 16. ubi Chald. similiter. & R.
S. Messiam intelligi docent, & id sole clarius lucet in contextu,
tum stabilitur innumeris N. T. locis. & Christus se ipsum petram
vocat, Mat. 7. Mat. 16. 18. Et id Apost. 1. Cor. 3. 11. facit &
alibi, *Deus Israelis*, est Deus Abrahami, Isaaci & Jacobi,
ut docet Orig. 4. cont. celsum: & sic convenientissimè Pater vo-
catur, qui Abrahamo semen promisit benedictum, Gen. 12. &
qui Deus Israël, ob fœdus cum posteris Israël percussum in
filio Christo, & qui Israël duxit per Angelum, Filium, Exod.
23. & illud optimè quadrat loco præsentis; qui enim distinctè
nominatur à Spiritu Sancto & filio petra, quis alius quàm
Pater?

XIV. Mysterio non caret, quod Patrem, filium & Spi-
ritum Sanctum sibi de furculo Messia locutum ita magnificè de-
prædicet: Incarnatio enim Trinitatis totius opus. Pater dedit
& misit filium natum ex muliere, Joh. 3. & Gal. 4. *ἀδύτο* caro
factus, & à Spiritu Sancto inumbrante virginem conceptus est,
Luc. 1. Quocirca tota Trinitas tantum olim prædicare quoque
mysterium patribus voluit. Et id commemorare putamus regi-
um vatem, Patrem sibi, *ἀδύτο* & Spiritum Sanctum in majorem
rei fidem de Messia verba fecisse.

XV. Oraculum ipsum sequitur. *Dominator hominum, ju-
stus Dominator in timore Dei.* Belgæ suppleunt, *Erit Domina-
tor: Optimè Dicu, Dominator inter homines justus, Dominator
in timore Dei.* Thargum Jonathanis. *Verax iudex dixit, qui
constitueret me Regem: Ipse est Messias, qui futurus est ut surgat
& dominetur in timore Domini.* Regnum hic tribuitur Messia;
dein Rex describitur; tandem regni lex, seu modus regni. Do-
minabitur Messias, Schilo populi obediens. Gen. 49. 10. Bile-
amus Bellæ Jacobi tribuit sceptrum. Num. 24. 17. Similiter Ps.
2. Regnum ipsi promissum. Ps. 45. 7. & Heb. 1. 8. filio dictum,
*thronus tuus in seculum, sceptrum regni tui, sceptrum est justi-
tiae.* El. 9. 6. *principatus super humerum ejus, & nostro vati-*
cicio

9
cinio conformiter. 2. Sm. 7. 16. *Solum Patris Davidis*,
Luc. 1. 32. & 31. admodum clarè, Jerem. 23. 5. *Ecce dies veni-*
ent, quibus Davidi excitabo Germen justum, ille Rex erit, &
regnabit, &c.

XVI. Rex erit justus: non E. homo, *Ἰσὺς ἀβραάμ*,
qui immunda omnes, nemo inter eos justus, Pl. 14. 5. Rom. 9.
10. 11. 12. &c. Job. 14. Joh. 3. *Caro enim cuncti ex carne. Sed*
Messias tribuitur, quod consignanda per ipsum sint peccata, &
aeterna adducenda justitia; inde justitia nostra. 1. Cor. 1. 30.

XVII. Inter homines dominator erit; licet omnia ipso
subiecta pedibus Pl. 8. & *angeli adorent filium*, Heb. 1. 6. Pl. 97. 7.
Speciatim tamen homines diligit, propter homines venit, semen
Abrahæ affluens, inter homines habitavit, hominibus Regnum
prædicavit caelorum, &c. Hinc justus illum dominatorem,
quem Deum demonstravimus, hominem quoq; futurum agno-
scimus; quia inter homines dominabitur, filius, Germen & semen
Davidis, *in medio fratrum* Pl. 22. 23. hinc *puerorum* (id est na-
torum ex muliere, filiorum hominis) *instar, particeps factus car-*
nis & sanguinis Heb. 2. 14. dicit, *ecce ego & liberi* Ef. 2. 18.

XVIII. Regni qualitas superest; *In timore Domini do-*
minatur; regnum non erit mundanum, ex hoc mundo, sine
mundi pompa seu ministrorum & copiarum apparatu, *non gladio,*
non arcu, non in bello, in equis & lequibus eos servabis Hof. 1. sed
gladius arcus & sagittae regis verbum veritatis, hoc cadere faciet gentes,
& corda inimicorum Regis perforabis Psal. 45. 4. 5. 6. ipsisque
dominabitur. Non erit corporale & externum Regnum, non
in corpora imperium exercebit, sed in animas: illas subiciet &
subjugabit ut timeant, revereantur & ament Dominum. *Re-*
gnum Dei intra vos Luc. 17. 11. hinc animarum conversione au-
spicatus est regnum Messias, Mal. 4: 6. *converteris corda patrum*
ad filios, & iussit evangelizare Johannem; Respiciete, appropin-
quavit regnum caelorum. Matt. 3. 2. Non erit terrenus sed ce-
lestis dominator, non timore hominum, metue gladii cor-
poralis, sed in timore Domini: *hunc regnum caelorum* Mat. 10. 7.

in quo Deus Rex est. *Es. 52. 7.* Hæc de Messia alibi prædicta, *Es. 11. 2.* super illum scilicet sarculum seu germen, *erit spiritus timoris Domini*: videlicet, timorem Domini inspirabit, operabitur in cordibus hominum & *ψ. 3.* *Odeurabitur in timore Domini*, discernet, dignoscet timentes Dominum & vera membra Regni sui, tantâ prudentia & facilitate, quàm si odore narium hæc sciret, neq; opus ipsi erit ipsa facta explorare, vel auribus audire, & videre oculis: ut Calvinus dextrè post R. David Kimhâ interpretatur.

XIX. Ad personam referimus, quæ *ψ. quarto.* *Vulgatus non infeliciter; Sicut lux aurora, oriente Sole, mane absq; nubibus rursus, & sicut pluvius germinat herba de terra; Bene est, quod comparativam supplet in parte posteriori, & sicut terra &c. melius sanè quàm Dieu, qui illud eph similitudinis triplicat, hoc modo: Et sicut luce matutina oritur Sol, sicut tempus maturimum est absq; nubibus præ splendore, & sicut è pluvia existit herba tenera è terra; Addamus etiam doctissimi Viri explicationem: Prædicat, inquit, perpetuitatem regni sui, & amplificat comparatione rerum terrenum, qua gratissima quidem, sed diuturna non sunt, ut Ortus solis, fulgor aurora, & herba tenera progerminans. Ingeniosè fateor & doctè, sed membrum secundum asperum nimis, & idem est cum priori, si curatius rem consideres: Imò quod caput rei est, Messia non applicatur; quo tamen totum collimæ varicinium. Nostra sententia est, duplicem hîc institui comparationem cum Messia regno; primam à sole oriente petit David, alteram à germinæ.*

XX. Maximè miranda in Regno Christi gloria & humilitas. Illam Solis orientis radiis comparat, quibus pellantur tenebræ, & nubium nebularumq; discutuntur, densitates, tum auroræ fulgidissimæ. Sicut luce matutinâ cum oritur Sol. Solis instar Messias gloriosus futurus prædicatur, sicut *Es. 4. 2.* *Illo die sarculus Domini in decore erit & gloria, & fructus terra in præstantiam & ornatum eversionis Israël.* Hinc gloriam Psalter prædicat *Pl. 45. 3.* *Pulcher es præ filiis hominum.* Et ideo Sol vocatus *Justitia Mal. 4. 2.*
 Elin

Et enim solis instar, & sponsi prodit ex thalamo Pl. 19. & Zachariae orionis ex alto. Matt. 1. 78. Stella Jacobi Num. 24. 27. Lux mundi. Joh. 8. 12. omnium scilicet gentium! El. 49. 6. - 61. 1. 3. dissipaturus tenebras noctis, & nubes & nebulas, quod facit sol manē oriens. Idē Deus dicit, illum futurum absq. nubibus Esa. 60. 1. 2. Esa. 23. & 9. 1. Nox profundæ ignorantia & impietatis regnabat apud Judæos; sed Christus regno suo veritatem & justitiam in lucem protulit.

XXI. Neque negarim per Solem naturam Christi celestem adumbrari, secundum quam Deus summus: quod Davidi revelatum; 2. Sam. 7. 19. ista Lex hominis Domini & Dei, hinc El. 4. 2. Germen Domini vocatur, distinctè à fructu seu germine tertze, & quæ El. 11. 3. 4. 5. 6. de germine prædicuntur, talia sunt; ut homini non convenire possint; quia Jer. 33. 6. Vocatur IHVA justitia nostra, idem sic Jer. 23. 16. Neque frustra est, quod aurora meminit vulgatus. Keor bokor. Sicuti lux in matutino, illa pulcherrima, gratissima & maximè miranda. Ita Christus gloriosissimus apparuit ipso ortu; angelis cœli, claritate cœlesti; & stella in oriente ipsius nativitatem prædicantibus: fidelibus in templo cum suscipientibus, & magis ex oriente recens nato se incurvantibus, tota Hierosolyma ipsoque Herode consternatis, ut verè cœlum & terram commoverit.

XXII. Alterum est; sicut à pluvia germen de terra, de se mearesz. Herbam teneram sonat dese, herbulam. Nil dici magnificentibus poterat, quàm Solis orientis instar dominatorem orientum: Nil quoque humilius, quàm herbulæ instar Messiam futurum; hæc enim de Messia dici tam evidens ex contextu, qui totus de Christo, ut vix probationis egeat. tum Pl. 72. 6. descendet sicuti imber (al ges) super desertam herbam. Non ignoramus rō ges sæpissimè vellus notare, ut Jud. 6. & Patres plerosque, Irenæum, Origenem Theodoretum aliosque docere, quod incarnationis mysterium hîc prædicetur, cum applicatione typi velleris Gedeonis. Nota & suavia imprimis sunt, quæ Bernhardus hom. 2. de virgine matre & Christi incarnatione

12.
loquitur. *Nunc lana, nunc vellus perfunditur.* Typum equidem in vellere agnosco, & allusionem haud difficulter concedo in voce *ges*: Verùm negari nequit, hanc voce defectam herbam significari; ut Amos 7. 1. & id prophetam intendere, ex harmonia psalini & vaticinii hujus clarum putamus. Et de Salomone dictum non est, *descendet*, &c. neque ille herbæ defectæ assimilatus, qui rege natus; regno à nativitate destinatus, & in ipsa juventute in solio collocatus, & novercantem fortunam toto regni tempore non expertus. Messias autem descendit de cælo in terram, in sinum virginis, quod plerisque interpretibus hoc loco videtur. Ille cujus regnum in iustitia, quem cum sole timeant, & reverentur ad facies lunæ, descendendo humiliatus est, exinanivit se, factus sicuti defecta herba, super quam pluvia & imbres stillant. Herba secta tenerior resurgit, & rore revivit quasi & revirescit. Ita El. 4. 2. *Tzemach*, ob tenevitidinem & opprobrium vocatur, & miraculosè glorificandum & extollendum prædicatur. Nam radix *tzemach*, significat pullulare, sicuti tenellum gramen & exiguum admodum terræ viror; primum oriri, imò & reflorescere, renasci postquam amputatum fuerit & defectum. *Ex trunco succiso Isai virga surget*, & Zach. 6. 12. *germinabit subter ipso templum domini*, id est reedificabitur, & Zach. 3. 2, 8. *seruus qui tzemach*, torris dicitur ex igne. Et El. 11. furculus de radicibus, *Neizer à Natzar* custodivit, quasi custodia, sollicitudine egeat, ne à vento dejiciatur aut conculcetur: tum quis è radicibus virgulta teneriora surgunt.

XXIII. Observationem meretur, quod ubicunq; Messias herba aut virgultum dicitur, id fieri cum respectu ad ipsius humanitatem & humilitatem. Eam prædixit Zacharias 9. 9. *Veniet Rex tuus pauper & insidens asino*: quæ tam clarè de Messia dicuntur, ut veteribus & modernis agnitioni sit & abbinis, apud Boshart. de animal. sacris. Elaias 53. 2, 3. *absque forma & decore, contemptum ac abjectissimum* cum describit. Et quod maximum est, & nostrum texum ac mentem egregiè explicat, in eo humilitatem illam suam fuisse docet, quod *panis saronius surgat, & radix sit arida terra.* Et profectò non sine

hinc miraculosa providentia factum, quod nomen *Germis* seu surculi Christo per contemptum datum sit, cum *Nazarenum* eum vocarunt. Marc. 14. 67. Id imitatus Tertullus, Christianos Nazarenos vocat, Act. 24. 5. Quin Tertullianus 4. adv. Marcionem, tum Epiph. contra haeret: tom. 1. lib. 1. suo tempore Judaeos id fecisse testes sunt. Hoc probum in cruce tulit, cui titulus imponebatur; 7. *Nazarenus*. Incarnatus ille primitivae Ecclesiae eustrat, apostata Julianus, Christum Galileum & Nazarenum ordinariè conivitabatur. Et proculdubio Diabolus contemptum redde: e voluit populo Christum, cum Jesum Nazarenum confitebatur impudentissimè. Et quid *germine* hoc vilis in oculis mundi?

XXIV. Neque malè dicitur, Messiae nativitatem hic praedici. Impregnata à rore, à pluvia, terra germen protrudit. Non creari miraculosè, non de caelo labi, sed *filium nasci* debuit. Es. 9. 6. *Virgo parere*, Es. 7. 14. ut *Verum semen mulieris, semen Abrahae & semen Davidis* esset, nobis per omnia saecula Phil. 2. Heb. 2. 4. Adde, non obicura hic vestigia reperiri conceptionis miraculosae ex Spiritu Sancto, pluvius de caelo stillantibus germinat herba; ita *secundus noster Adamus de caelo caelesti* 1. Cor. 15. & hoc rore inumbrata & foetificata virgo, sanctum *Germen Dei* enixa. Luc. 1. Humanitatem itaque veram Messiae hac voce inquit David. Nam *germen de terra*, terrenae naturae, *particeps carnis esse debuit, ut filios multos in gloriam adducere* H. b. 2. 21. & dicere posses, *Ego ego & filii* Es. 8. 18. atq; *fratres nos appellare* H. b. 2. Ps. 22. 23. & nos illum; sicuti sponsa Cant. 7. 5.

XXV. Quae sequuntur familiam Messiae indicant, illum scilicet nascendum ex domo Davidis: *Quia non sic domus mea cum Deo; ita negativè vertunt* Pag. mont. Dieu. *Usque non sic domus mea: sed nullo sensu, & sic ad Messiam referri nequit, quod dicit* Nos affirmativè reddimus; *utiq; annon sic domus mea cum Deo forte?* Castalio (cujus versionem merito suspicimus, quòd n. i. i. n. d. a. f. e. l. i. c. i. t. e. plurim. os dextrè explicet nodos) *Non aberrat multum; sic plene mea posteritas cum Deo actum tri*

confido, &c. nam *lo*, non semper negat. Ezech. 3. 6. *in lo si-
Jehmen, si non audiem te.* Sic affirmat. Gen. 18. 15. *lo ki azachak-
ei. nig, rishfi*; & alibi. Ex sua familia hunc dominatorem ju-
stum oriturum prædicat. Semen Abrahami ad tribum Jehudæ
restrinxerat moribundus vates Jacobus; Gen. 39. Sed ex omni-
bus hujus tribus familiis, domus Davidis promissionem accepit.
2. Sam. 7. & Pl. 89. 4. & 132. 11. Hof. 3. 5. id sollicitè admodum
Novo Testamento inculcat Spiritus Sanctus, genealogias Chri-
sti Mat. 1. & Luc. 3. ad Davidem ducendo; tum Lucas 1. 27. &
2. 4. Josephum & Mariam ex domo Davidis fuisse recenset.

XXVI. *Cum Deo, talis est domus Davidis*, sic cum Pag:
& Montano verterem; potius quam *apud Deum*, ut Vulg: *Dieu*
& pleriq;. Semen Davidis in unitatem τὴν ἁγίαν assumendum,
Domum Davidis cum Deo ita gloriosam futuram quod Deus ex
illa nasciturus: ita ut Regnum filii Dei, sit regnum domus Davi-
dis in seculum. Sic hodiè regnat David in Christo, quia Chri-
stus semen Davidis: & æternum erit regnum domus Davidis,
quia Domus Davidis, seu semen Davidis, æterna & indissolubili
unione colligata cum Deo, perpetuò est & manet cum Deo & in
Deo, & Deus in illa manet, & cum illa erit in æternum. Id se-
quentia innuunt; *quia pactum seculi (æternum) posuit mihi.*
Ex pacto enim in filio Dei sancito est, quòd domus Davidis sit
mansura gloriosa in seculum cum Deo: Nam fœdere nunquam
interituro assumpsit semen Davidis.

XXVII. Illud pactum videamus. *Et pactum seculi fecit
mihi.* Gratuita Dei cum hominibus reconciliatio per Messiam
vocatur pactum. Ita Abrahamo Deus semen benedictionis pro-
mittens pactum, seu *fœdus* crexisse legitur; Gen. 17. 4. inde
Messias pacto promissus. *Angelus fœderis* dicitur. Mal. 3. 1. Hoc
fœdus in semine Abrahæ percussum, renovatum est in semine
Davidis: hic Pl. 89. 3. 4. *Excidi fœdus electo meo, juravi
David servo meo, usq; in seculum stabiliam semèn tuum, &
ædificabo thronum in generatione & generatione, confer. Pl. 132.
11. Ipse David promissionem sibi de Messie regno æterno factam*

legens

legem vocat. 2. Sam. 7. 19. quod nimirum fœdus ejusq; conditio- nes sint instar legis inviolabiles. Fœdus juramento sancitum, æternum est, cum impossibile sit Deum fallere, & rectè para- phrastes chaldæus in Pooli Synopsi; *Quia juramentum mihi jura- vit æternum, quod futurum sit regnum meum firmum, sicuti firmi sunt ordines Beseff.*

XXVIII. Speciatim, sibi positum pactum commemorat, quia personæ Davidis prima facta est promissio: & tamen *dispositum omnibus.* Dispositum, ordinatum vel constructum: quo sapien- tissimum consilium Dei & æconomiam inscrutabilem in hoc Messia regno erigendo commendat, & eam miratur David attonitus, 2. Sam. 7. 19. *Hæc lex Domino Deus? 21. Secun- dum cor tuum, hanc magnitudinem fecisti.* Hinc iterata hujus seminis Davidici promissio, vocatur *signum* quod Deus dabit. *Et. 7. & Res nova. Jer. 31 & certe hanc redemptionis æconomiam angeli intueri gestiunt & seruari. 1. Pet. 1. 12. Luc. 2.*

XXIX. Omnibus dispositum: plerique *in omnibus*: alii *per omnia* scilicet n. edia. Nobis videtur de hominibus accipien- dum, quo pacto se ipsum explicat David 2. Sam. 7. 24. 25. 26. asserendo, *non solum sibi & domui sue, sed toti Israël hoc esse dis- positum pactum.* Et sic benedictio Abrahamo promissa Gen. 12. *omnes nationes terra concernit*; & repetita seu renovata David, 2. Sam. 7. 29. eadem esse intelligitur, & ad omnem gentem spe- ctare. Id tanè convenit cum Regno Messia, quod in omnem terram extendendum, Psal. 72. loquitur; & sic angelus Luca 2. gaudium germinis Davidici nati, *toti populo futurum* annuntiat.

XXX. Additur & custodatum, *pschmura*, id ad Deum referunt, qui custodiet pactum: quod dicitur, Pl. 89. 29. *Cu- stodiam ipse misericordiam meam*: It. Jonathan Chald. par. *cu- stoditum in seculum quod veniet*; & arabs & Syrus interpres; *omnia parata sunt & conservata.* Id non pia. et, quia repetitionem in breviculo hoc vaticinio sine causa non fecimus: jam n. ante dix- erat, *pactum seculi.* Sentimus nos, *pactum custodatum* ab homini- bus: *cultore legem, fœdus dicuntur, qui recipiunt fide, qui*

in eo ambulat, salutem querunt, Gen. 17. 9. 10. Pl. 19. & passim sic Messie fœdus custoditum, ceu *custoditior* animæ custoditum, piè creditum à mundo. 1. Tim. 3. Suadent sensum hunc sequentia, quibus fatetur propheta, hanc esse totam suam salutem, omne desiderium, id est, ita se custodire & servare animo hoc pretiosissimum depositum, ut votorum summa sit, & in eo ceu verò summo atque unico bono plenissima fide acquiescat.

XXXI. *Nam omnis salus mea & omnis voluntas*: salutem Deus promiserat lapsis & miseris mortalibus per Messiam in paradiso. Gen. 3. inimicitias ponam &c. semen mulieris conteret caput serpentis. Salus devictorum conculeatio angustiatoris. Gen. 12. benedictio Abrahamo promissa salus est per Messiam semen acquirenda. Sic eam explicat Abrahami nepos, Gen. 49. *Exspecto salutem tuam*. Quæ salus in agone mortis constituto prodesse potest, nisi animæ & æternæ, in Messia promissa? Et de Christo accipit locum Chaldeus paraphrastes uterque. *Non expecto salutem Gedeonis, qua temporaria, neq. Simsonis, qua Brevis, sed Messie*: sic David explicat. Pl. 14. 7. *Salutem Israël ac suam in liberatore Messie sitam esse.* & sic N. T. *Messias salvaturus populum dicitur.* Matt. 1. 2. & Luc. 2. 30. *Salutare Dei vocatur.*

XXXII. *Et omnis voluntas, seu desiderium, seu expectatio.* Messiam anxie desiderabant, expectabant, volebant V. Testamento. Eva primò partu, desiderium Messie explicat, Gen. 4. *habeo virum dominum*; similiter pater Noachi Gen. 9. 29. hic nos solabitur; sed errarunt in persona ex nimio amore: *desideravi Abraham ut videres diem Christi* Joh. 8. *salutare hoc expectabat.* Jacobus. Gen. 49. *Et propheta & Reges expervere audire & videre Messiam* Mat. 13. imò de omnibus V. T. fidelibus dictum in genere, quod *expectaverunt salutem sibi promissam in Messia, & testimonium fides obtinuerunt,* Heb. 9. 39. & 12. Apostolus nomen Davidis exprimit inter illos hæciles; qui etiam hanc in Messia fiduciam ac spem tam perspicue plurimis psalmis declaravit, in primis 14. 22. 24. 40. ut dubitari non possit.

17

possit, eandem esse fiduciam, quam hoc vaticinio deprædicit. Quid
verò sequentia sibi volunt, *Ki lo jatzmiach*. Nil mihi toto vati-
cinito difficilius, quodq; torserit magis, occurrit. Omnes ne-
gativum faciunt sensum, *Jun. & Trem. quando non facies ut pul-
lulet*, scil. quamvis propter peccata nostra nondum exerat pro-
speritatem domus meæ, præcedentibus promissam. In hunc ferè
sensum Dicu. *nee obstat quod mihi meaq; familie adversi quid ob-
tingat, & nondum facias pullulare; manet tamen factus Dei cum
mea domo &c. Belgæ. licet nondum facias ut pullulet, sed germen
illud veniet in plenitudine temporis. &c.* Alii, non germinare fa-
cies, jam enim germinavit, neq; peribit unquam, quod textui
& sensui adversatur. Vatablus R.R. laudat, sic commentantes;
*Omnia exspectatio mea, quod non germinat regnum meum instar
herbæ, quæ perit cito, cui accedit Sal: Glassius. Olim existimavi,
id dici de regno impietatis, de filiis belial, de quibus versu pro-
ximè sequenti: illos non facit germinare, & florere & crescere
Deus; quam jam sententiam esse septuaginta interpretum.
Verùm re seriis pensulatâ, existimo sensum esse simpliciter
affirmativum, hoc modo: Omnis salus mea hæc est, & desiderium,
quoniam annon facies germinare? Certè tu facies germen illud ju-
stia efflorescere post successum familie meæ truncum, post collapsam
domum meam tu illam suscitabis ex ruinis, & germinare ex illa
facies Messiam Dominatorem justitia &c.* Sanè negativa sæpius
affirmat apud Hebræos, *Exod. 8. 26. Abominationem Ægy-
ptiorum sacrificabimus, & non occident nos; pro annon occi-
dent nos? Job. 13. 15. Ecce occidet me (lo ajachel.) non spe-
rabo, id est annon sperabo, etiam si me occidat? Quandoque
æ interrogativum ante lo deelt, docente Sal. Glassio gram. sacra,
ut 2. Reg. 5. 26. lo libbi balach pro hæ lo, annon cor meum
abiit: & Job. 2. 10. veah hara lo nekabbel & malum non susci-
piemus? similiter Job. 8. 12. Psal. 10. 15. Quæres iniquitatem
ejus, balchimza, non invenies, pro annon invenies? certè
invenies. undè etiam in N. T. interrogativa sæpè subintelligitur, ut
Math. 17. 24. Magister vester non solvi didragma. i. e. annon
sol-*


solvit? utique solvit. Mihi quoque videtur, rō kī aliquando esse interrogativum, ut Nehem. 2. 2. *kī im rah lebb.* num hoc malum cordis? ita hīc *kī lo jair miach* annon germinare facies? Hic sensus redolēt desiderium summum Davidis; cum præcedentibus optimē convenit & cohæret; fidem de germine, seu rem quam tractat vates felicissimē exprimit; nil asperi habet aut hiulei; & tantā claritate menti se ingerit, ut se ipsum satis commendat.

XX XIII. Hic jam inculcamus, cur toties unā quasi voce, Messias vocetur germen & furculus. Id idē factum, quia ultimis suis præverat Regius vates; & quoniam vaticinium quod sub manibus, clarissimum & novissimum, Messiam prædixerat venturum ut herbam terræ, quod germinare faciet Deus in familia Davidis; Spiritus ille qui Davidem inspiravit, Prophetas etiam in hanc veritatem duxit. Si verō Davidi nulla facta fuisset promissio de furculo Messia, prophetæ quomodo Messiam ita crebrō sic vocant? Cū autem prophetarum consensus supponat Davidi hunc promissum furculum Salvatorem, ubi illam reperies, quā in loco quem explicavimus?

XX XIV. Finit vaticinium per oppositionem regni Satanæ, quod per Germen dominatorem destruendum prædicit: & *filiū Belial tanquam spina movebuntur* (id est projicientur) *omnes, quia non in manu capient. Et vir qui tetigerit eas ferro & ligno lancea replebitur* (id est manum implebit,) & *comburendo comburentur in mansione.* Filios Belial opponit dominatori justo; germi salutis promisso, hæc spinas maledictas. Germen crescit & firmabitur in domo Davidis, spinæ autem evellentur & movebuntur, id est, eradicabuntur. Super populum germen dominabitur in timore Domini, sed omnem iram effundet super regnum malignarium. Vox *jizab*, non solum tangere, sed & percutere, dejicere, deturbare significat. Germen itaque cū destruet opera Satanæ, cū expoliabit fortem inimicum, cū *conculcabit caput*, Gen. 3. *cum separabit, constabit quasi in le-*
beis

bece Mat. 32. *cum percussies anathemate terram*. Mal. 4. 6, non manu, seu humanis viribus utetur solùm, sed potentia divinã: ar-
 mabit manum scopiro ferro, Pl. 2. *arripies lanceam* Pl. 36. *cin-
 get gladium & sagittas acutias promet*, Pl. 45. Et sic Christus
ventilabro usus ad purgandam aream, & *securum posuit ad radi-
 cem arboris*. Sicuti spinis evellendis agricolæ non nudam ma-
 num admovent, sed ligone & securi, seu ferro ac hastili lanceæ
 armantur quasi contra eas.

XXXV. In mansione comburentur *basinabeth*; Pagni-
 nus in *cathedra* Jun & Tremell. *in sede*: id est (ut Belgæ, An-
 gli aliique reddunt expressius) *in loco suo*, in quò crevere, &
 ex quo evulsæ, quod subitum & totale impiorum excidium in-
 dicat. Spinæ enim sicuti non deferuntur domum, sed in ipso
 agro, ubi eradicatæ comburuntur, seu inutile lignum, & ædi-
 ficiis & foco ineptum; Ita *germen* Messias igne, id est vindictã
 divinã, filios Belial, *cathedram* iniquitatis comburet & succidet
 subitò; ut prædictum Mal. 3. & 4. Si quis id putet in desolati-
 one Hierosolymæ (quæ non multò post adscensionem Christi,
 ubi & locus ipse & *cathedra* iniquitatis, unã cum populo impio
 everfa penitus) singulari modo adimpletum per Christum, nos
 non habebis dissentientes.



Corollaria Respondentis.

1.

Fæderi natura per peccatum destructo, successit fœdus
 gratia, quod Deus ab æterno cum homine inire decrevit.

2. Verùm cum Deo nihil in homine præviderit,
 quod ipsum movere putaret ad gratiam istam procuran-
 dam.

dam, causa hujus gratiæ rejicienda est in misericordia Dei propositum.

3. Fædus hoc, quamvis à lapsu statim homini propositum sit, variè tamen à Deo dispensatum fuit.

4. Tandem autem finitis temporibus de cælo prospexit benignus, filiumq; suum natum ex muliere in hunc mundum misit.

5. Hicq; quia omnia facturus esset, qua Pater ipsi mandaverat, sub forma servi apparuit.

6. Sed quo hominum esset mediator consummatus, necessariò Deus & homo esse debuit, servatus tamen utriusq; natura proprietatibus.

7. In assumpta naturâ humanâ humiliavit se ipsum, factusq; est obediens.

8. Hancq; obedientiam per varias tentationes ac acerbissimos cruciatus, tandem per ipsam mortem, loco nostro præstitam, sufficientissimè consummavit.

9. Subiit mortem hanc & passus est Christus quæ homo, pro solis tantùm electis, non verò pro reprobis & impiis.

10. Posito hoc satisfactionis pretio, Deus ipsum e statu extrema humiliationis ac mortis potentissimè dimisit: Quique idcirco ut Victor ac Triumphator Satana ac mortis e Sepulchro exiit, ac vitam æternam assumpsit.

11. Non tamen Christi corpus post resurrectionem multo præsentia capacius fuit quàm antea.

12. Tandem autem relicto hisce inferioribus in cælum adscendit, & ad summum Majestatis culmen erectus, regnaturus ac intercessurus ibidem pro nobis in æternum usq;.